Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Liber

sua, et mittebat ea in lebete
vel in caldario aut in olla,
sive in cacabo, et omne quod
levabat fuscinula tollebat
sacerdos sibi. Hoc faciebat
universo israeli venienti in silo.
Etiam antequam adoleretur adipes
veniebat puer sacerdotis et
dicebat immolanti: Da michi
carnem ut coquam sacerdoti. Non
accipiam enim a te carnem cocta
sed cruda. Dicebatque illi
immolans: Incendatur primum
iuxta morem hodie adipes, et
tolle tibi quantumcumque desiderat
anima tua. Qui videns audebat
illi: Nequaquam. Nunc enim dabis,
alioquin tollam vi. Erat autem peccatum
puerorum grande nimis coram
Domino, quippe detrahebant homines
sacrificio Domini. Samuel autem
ministrabat ante faciem Domini,
puer accinctus ephod lineo.
et tunicam parvam faciebat ei
mater sua, quam afferebat statutis diebus ascendens cum vi
ro suo ut immolaret hostiam
sollemnem. Et benedixit heli
helchana et uxori eius. Dixit
itaque: Reddat tibi Dominus semen
de muliere hac pro fenore
quod commodasti Domino. Et abiit
in locum suum. Visitavit
ergo Dominus annam, et concepit
et peperit tres filios et duas
filias. Et magnificatus est
puer samuel apud Dominum.
Heli autem erat senex valde.
Et audivit omnia quae faciebant
filii sui universo israeli, et quo
modo dormiebant cum mulieribus
quae obsuebant ad ostium
tabernaculi et dixit eis:
Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio res
pessimas ab omni populo? Nolite
filii mei. Non enim est bona
fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. Si
peccavit vir in virum placari
ei potest deus. Si autem in Dominum
peccaverit vir quis orabit
pro eo? Et non audierunt voce
patris sui, quia voluit Dominus eorum
delere eos. Puer autem samuel
proficiebat atque crescebat et
placebat tam deo quam hominibus.
Venit autem vir dei ad he
li et ait ad eum: Haec dicit
Dominus: Numquid non apte revelatus sum domui patris tui cum
esset in egypto in domo pharaonis, et elegi eum ex omnibus
tribubus israel mihi in sacerdotem,
ut ascenderet ad altare meum
et adoleret mihi incensum
et portaret ephod coram me
et dedi domui patris tui cuncta de sacrificiis filiorum israel? Quare
calcas victimam meam
et munera mea quae praecepi
ut offerentur in templo, et
magis honorasti filios tuos
quam me, ut comederetis primicias omnium sacrificiorum israel populi
mei? Propterea ait Dominus deus
israel: Dixeram loquens sive ut
domus tua et domus patris
tui ministraret in conspectu meo
usque in sempiternum. Nunc autem
dicit Dominus: Absit hoc a me
sed quicumque honorificabit me
glorificabo eum, qui autem con
temnit me erit ignobilis. Ecce dies venient et
perdam brachium tuum et brachium domus patris tui, ut non
sit senex in domo tua, et